

dente arrodere, eique ut rabidi canes oblatrare, poenas Ecclesiasticas, seu sacra fulmina in eos contorta velut apri furiosi venabula mordere, & Serpentino Sibilo explodere, Ecclesiæ jugum excutere, ejusque viscera dilacerare non cessant.

Quid, quod non ita pridem ausu non solum temerario; sed plusquam phrenetico ipsum SS. D. N. Innocentium XIII. dum felicissimè ovile Christi gubernabat, sacrilegâ supplicatione interpellare non sunt veriti, ut autoritate suâ (de qua impiè sibi blandiebantur) interpositâ *Bullam Unigenitus* à Sanctissimo Prædecessore Clemente XI. tot lachrymis & precibus, tam longo, & maturo consilio, tanto studio, ac labore conceptam, conditamque, unanimi omnium Ecclesiarum consensu reverenter receptam, ipse convelleret, & (si superis placet) reprobaret, eo nimirum fine, ut Ecclesiæ totius Caput cum Capite committerent, ut ipsâ secum pugnante Ecclesia, triumpharet iniquitas, & abominatio desolationis pejor quam prædicta à Daniele Propheta cereretur in loco sancto, abominatio, inquam, qualis non fuit ab initio mundi, nec erit unquam teste Divino Christi oraculo; *Tu es Petrus, & super uanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam*, sed & confusio cooperuit facies eorum; experti sunt quod nullum perfidia ad Sancti Petri Cathedralam habeat accessum, quod in hac solâ incorrupta Patrum fervetur hæreditas fidei, in Innocentio XIII. superstitem Clementem reperere, imo ipsum Petrum uno ore in utroque loquentem; abominatio fuit illi oratio eorum: secundum stultitiam eorum respondit eis, & iteratò percussit illos in ore gladii, in gladio Domini, in virtute clavium & potestate Petro & Successoribus ejus à Christo concessa.

Ex impurissimo scilicet ac venenoso illorum hæreticorum Dogmatum fonte spiritum audaciæ ac furoris hauserunt: Quamquam verò postremæ Propositiones non signatè hæreseos notâ singulâ perstringi videantur, de eâ tamen suspectas, odiosas, temerarias, scandalosas, seditiosas, meritoque proscripitas & damnatas esse evincitur.

Quare clarissimorum virorum calculis & meum lubens appono, ac publicâ luce dignissimum opus censo, perpetuum utilissimumque contra Schismaticos Ecclesiæ armamentarium. Salvo tamen S. Sedis, Christianique Vicarii Benedicti XIII. judicio, quod pari cum autore modestiâ animique demissione veneror.

Voveo autem ut D. O. M. Orthodoxos Ecclesiæ suæ Doctores, fortissimos pugiles, acerrimos S. Sedis, ejusque supremæ autoritatis vindices (tanquam luminaria supra candelabrum hodiè Lucentiâ) diu sospites servet, animetque, ut quâ voce, quâ calamo os obstruant loquentium iniqua, contumaces conterant, errantes reducant, turbatamque Ecclesiæ pacem restituant. Quod si liceat exiguo incolatus mei tempore (85. quippe ago ætatis annum, Episcopatus 29.) conspiciere, exultabundus cum justo Simeone ingeminabo: *Nunc dimittis servum tuum Domine.*

Datum Gandavi in Palatio nostro Episcopali 24. Junii 1724.

Philippus Erardus *Episcopus Gandavensis.*

## A P P R O B A T I O

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

### HENRICI JOSEPHI VAN SUSTEREN

*Episcopi Brugensis, perpetui atque hereditarii Flandriæ Cancellarii &c.*

CUM nunc in lucem proditurus sit Tomus IV. præclarissimi Operis, cui titulus: *Constitutio Unigenitus Theologicè propugnata &c.* rursus exclamandum mihi esse duxi: ibi FONS JACOB. Fontis quippe qualitates, profunditas in eruditione, altitudo in prudentia, viventis aquæ abundantia in materia per totum istud opus ita elucet, ut, sicut ad FONTEM JACOB quievit Unigenitus Dei Filius, ita sponsa ejus, Sancta nostra Mater Ecclesia, ad opus hoc speratâ Pacis lætitiâ meritò perfundi queat. Accedant ad hunc fontem *publica tranquillitatis perturbatores* animo, quo Mulier Samaritana FONTEM JACOB, non contempore veritatis, aquæ illius salientis in Vitam æternam; agnoscent ibi adultera sua detegi dogmata: agnoscent, authorem illius operis, sicut Unigenitus Dei Filius ad FONTEM JACOB, teste Augustino, *fidem Mulieris stitibat*, Lectorum fidem unicè stitire: agnoscent Sponsam Christi supramemoratam Constitutionem Apostolicam ambabus ulnis bene amplexam fuisse, eamque à se malè turbari; tandem, si agnoscant DONUM DEI, instar mulieris illius, quæ, uti Ambrosius ait, *ad fontem meretrix advenerat, a Christi fonte casta regres-*